

35

J. N. F. C.
DISSERTATIO ACADEMICA

DE

SIMULACRIS VITIORUM,

QUAM

Consens. Ampl. SENATUS Philos. in Reg. Acad. Aboiens.

PRÆSIDE

M^{AG.} JOHANN E
BILMARK,

HISTOR. ET PHIL. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORD.

Publico examini modeste subjicit

NICOLAUS ITHIMÆUS,
Wiburgensis.

In AUDITORIO MAJORI Die XXI Decembr.

An. MDCCCLXXIV.

H. A. M. C.

A B O Æ

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL.

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE OCH BORGMASTARE
UTI STAPEL-STADEN ÅBO,
VÅLÅDLE och VIDT-LAGFARNE
Herr CARL ULNER,
MIN HÖGTÅRADE K. MORBROR.

REGIMENTS-
VID KONGL. ÅBO LÅNS
ÅDEL och
Herr ADAM
MIN HÖGTÅRADE

Et tacksamt sinne kan aldrig inom sig förborga de tilfället, at förklara sin erkänsla. Likt en under framskjuter sina ljufva strålar. Jag för min ringa lägger detta mitt första Academiska arbete, offenteligen och jag dageligen af Mina K. Morbröder och min K. Farbroder min tilgivnenhet och erkänsla. Af sådana rörelser intagit ständiga välfärd utgjuter, under det jag med all vörndad

MINA HÖGTÅRADE K.

Ödmjuk
NILS

KONGL. MAJ:TS
TRO-TJENARE OCH LANDS-CAMERERARE
UTI ÅBO OCH BJORNEBORG'S LÄN,
VÅLÅDLE

Herr **GABRIEL ITHIMÆUS**,
MIN HÖGTÅRADE K. FARBROR,

SKRIFVAREN
REGIMENTE TIL FOT,
HÖGAKTAD
ULNER,
K. MORBROR.

välgjerningar, som det åtnjutit, utan söker alla mäjliga
askan förborgad Eldgnista, hvilken vid minsta väderfläkt
del har ej bordt undgå, at vid detta tilfälle, då jag fram-
med vördnad ibogkomma den myckna gunst och ynnest, som
årfarer. Tillåten detta Snilleprof få vara et vedermåle af
finne flyta ock de trogna fuckar, som jag för EDER be-
framhårdar

MORBRÖDERS och FARBRODERS

Tjenare
ITHIMÆUS.

KONGL. MAJ:TS
TRO TJENARE och CAMERERARE
UTI DESS OCH RIKSENS HÖGLOFLIGE ABO HOF-RÄTT,
VÄLÅDLE
Herr NILS ITHIMÆUS,
MIN HULDASTE FADER.

När min förmåga svarade emot min vilja, skulle dese
rader innehålla en tekning af et fullkomligen ärkän-
samt sine. Men vid betraktandet af mina Hulda-
ste Föräldrars välgjärningar emot mig, förlorar jag mig
i mina tankar, och ser ej hvareft jag skall börja eller sluta.
Näst den Högste GUDen bar jag til at tacka Mina
Huldaste Föräldrar för mitt lif oob för min muntra lefnad.
Mig har intet fattats hvad till min välfärds befrämjande
har kunnat bidraga. Som min vördnadsfulla tacksambet ej
med orden kan förklaras, så torde detta Snilleprof, hvilket
Min Huldaste Fader i all ödmjukhet upofras, få vitna om
min barnsliga tilgifvenhet. Den Högste GUDen gjöre
Mina Huldaste Föräldrars lefnads dagar både många och
glada, då bar jag vunnit min önskan och under den med
all vördnad till sidsta lefnads stunden frambårdar

MIN HULDASTE FADERS

Ödmjuk-Lydigste Son
NILS ITHIMÆUS.

PRÆFATIO.

Quamvis DEUS O. M. ex singulari
homini præstantissimas tam animi quam corpo-
ris dotes concesserit, quibus si ex intentione Con-
ditoris sui rite utatur, potest omnino verum a falso &
bonum a malo in casibus obviis discernere, illud sequi
& amplecti, hoc autem tempestive fugere & averfari;
plerumque tamen accidere docet experientia, ut morta-
les vel per socordiam vel per præcipitatiā labantur,
nubem pro Junone amplectentes. Sistuntur quidem sen-
sibus nostris externis varia corpora; enimvero nisi justa
attentio moderetur hos animæ nostræ ministros, facile
fit, ut judicia de ipsorum vel figura vel indole feramus
a rerum ipsarum natura prorsus discrepantia; cuius culpa
non in organis sensoriis, sed in defectu necessariae atten-
tionis erit querenda. Quod quum obtineat circa res,
quæ quasi palpari possunt, quanto magis hallucinabitur
intellectus noster in æstimanda actionum humanarum bo-
nitate aut pravitate. Novimus quidem hoc vel illud a
quopiam esse factum, habemus etiam confitentem re-
um, sed non tamen ita confitentem, quemadmodum a
lli de ipso confitentur; circumstantiarum momenta sin-
gula vix prælentes nedum absentes norunt; multo mi-
nus cognoscere datur, quo animo aut qua intentione
aliquid patratum fuerit. Nemo fere adeo simplex est, qui
non noxit actionem suam specioso quodam fuso incru-
stare

stare, ut si non excusationem aut veniam, mitiorem tamen censuram apud aequos rerum aestimatores mereatur. Enimvero in aestimanda actionis cuiuslibet moralitate haec circumstantiarum pondera in censum venire atque expendi tanto magis debent, si justam de indole actionis ferre velimus sententiam, quanto certius constat, accidere non raro, ut duæ actiones materialiter eadem, sint formaliter plane diversæ, altera videlicet bona, altera autem mala. Immo sicut quædam actiones videntur esse bonæ, quæ reapse sunt malæ; ita vicissim dantur actiones, quæ primo intuitu speciem malarum præ se ferunt, sed quas matura attentio bonas ex merito judicat; non aliter ac remedia, quæ maximum faciunt dolorem sunt in primis salutaria. Nec mirum hoc cuiquam obveniet, quum teste Cicerone: *Sic est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat* (a). Quamobrem quumut loquitur PETRONIUS ARBITER totus mundus *Histrionam exercitat* (b) & in alma hac Academia haud ita pridem binæ sint editæ dissertationes de Simulacris Virtutum ego, ne quid in arguento hoc morali deesset, de Simulacris vitiorum breviter impræsentiarum agere constitui, si modo pace ac venia B. L. fieri posset,

(a) Vid. Orat. pro Rosc. Cap. 10. (b) Vid. Satyr.

§. I.

Virtutis præstantiam propositurus Divinus ille, ut a veteribus nuncupatur, PLATO adseruit, tam excellentem esse ejus formam, ut si oculis cerni posset, omnium in se amorem & admirationem converteret (a). Enimvero nisi fallimur, haec canora quidem, sed mente ferme cassa sunt verba, accommodata captui vulgi Atheniensis, qui sub Dearum vel potius Virginum pulcherrimarum specie

specie sibi repræsentabant virtutes omnes tam intellectuales, quam morales. Si enim de virtute morali in abstracto considerata loquatur hic veterum Philosophorum coryphaeus, frustra optat, ut ipsa oculis conspicere possit, quum simplex hæc idea nihil omnino cum corporea specie habeat commune; quod tamen non impedit, quia intellectus cuiuslibet hominis distinctam virtutis ideam sibi formare possit ac debeat. Si autem de virtute in concreto spectata sermonem faciat, plane supervacaneum est ejus votum, quum quotidie, si non passim & ubique, attamen alicubi cernere liceat actiones humanas præscripto legis convenientes; quare quum virtus moralis consistat in congruentia actionum cum lege, vide-mus omnino ejusdem externam formam. Nemo etiam est, qui non tacite taltem reputat, virtutem propter eximium, quem tam suis cultoribus, quam integro generi humano præstat usum, omni laude ac prædicatione dignissimam esse. Sunt etiam non pauci, qui hac persuasione, ut DEI voluntati & conscientiae suæ satisfaciant, sedulam virtuti impendunt operam, sed qui tamen propterea a maleferiatis exagitari & vexari solent. Sicut enim teneri hominum oculi ad fulgorem solis caligant; ita multi dantur perversa adeo indole prædicti, ut præstantiam virtutis aliorum acie satis constanti adspicere nequeant. Quum enim in actionibus aliorum aliquid præclari animadyvertant, cuius defectum in se experientur, sibi aliquisque persuadere conantur, quod proborum actionibus nihil solidi insit, sed quod simulacris virtutum fucum sollempmodo simplicioribus faciant. Tantum enim abest, ut merita aestimationem mortalium semper mereantur, ceu par erat, ut potius eisdem inclytos opprimere operose studeant invidi. Opinantur enim malos reapse tales esse, quales apparent, bonos autem malis non tantum non meliores, sed etiam deteriores atque nocentiores es-

se, si quidem sub specie affectatæ probitatis ceteris imponere non erubescant. Hinc igitur emergunt Simulacra Vitiorum, quæ sunt actiones externam malorum factorum speciem habentes, quæ vero habita loci, temporis & aliarum circumstantiarum ratione, bona censentur, & laudari potius quam reprehendi merentur. Seu ut stylo scholasticorum sententiam nostram exprimamus: Simulacula vitiorum sunt actiones materialiter bona, sed formaliter malæ.

(a) Vid. CICERONIS Libr. I. de Officiis Cap. III.

§. II.

Quod si nunc in scaturiginem, ex qua propullulare solent simulacula vitiorum, inquirere velimus, haud difficulter animadvertisimus, quod propter nimiam aliorum Philautiam larvas quasdam vitiorum multi induere cogantur, a quibus tamen toto abhorrent animo. Probe enim sciunt, quam alte omnium pectoribus, præcipue eorum, quos ad honorum fastigia evexit fortuna, inhæreat Philautia, quæ quidem homini ad sui conservationem a Supremo Numine est indita, quæ tamen vix intra illum ambitum, qui ipsi definitus est, contineri potest, sed ex virtute naturæ humanæ circulos sibi ab optimo Condитore præscriptos non raro transgredi solet. Hinc porro fit, ut pauci admodum sint, qui quamcunque alterius prærogativam ægris non intuentur oculis. Aequalitatem enim singuli amamus, nec quisquam facile se alio inferiorem aut indigniorem judicat. Quod igitur cuiquam gloriosum contigit, sibi præ aliis contigisse exceptant: id vero quem non evenerit, pari dolore aliena commoda & sua incommoda metiuntur, quantaque fieri potest opera alics deprimunt, ut si æqualibus illis esse non

non liceat, quam minimum tamen intercedat discrimen: Quocirca sui amore fascinati Ephesii, magnum illum Hermodorum urbe sua ejecerunt hisce verbis: Nemo de nobis unus excellat, sed si quis exstiterit, alio in loco & apud alios sit. Quum itaque viri egregii sciant, quod virtus etiam apud invitatos estimationem mereatur, meritorum suorum fulgorem umbra quadam vitiorum obducere solent, invidiae tempestates, quas ad internecionem usque subinde debacchari norunt, aliquantis per declinaturi, donec, discussis præjudiciorum nebulis, virtus eorum in apricum tuto prodire possit. Dum vero ita temporis servire coguntur, sedulo tamen cavent hi virtutum alumni, ne gravibus quibusdam factis suam exonerent lacerentque conscientiam, sed quiquid illis objici potest, est, quod negligentes rerum suarum & incurii publicarum videantur, quod otio nimium indulgeant, nec gravibus se immiscent negotiis, quamvis his rite gerendis pares essent. Sed præter modo memoratos dantur alti, qui ambitionis œstro perciti, omnia sibi pro honoribus obtinendis licere existimant, instar Protheorum, in varias sele formas coram Dominis & Patronis mutantes. Hi si per bonitatem naturæ, per probam institutionem & per exempla, quibus inde a tenera ætate adsuetati sunt, ad jugem virtutum culturam sollicitentur, attamen quum ex præceptis & experientia didicerint, quod sui cuique mores singant fortunam, ad Potentum mores saltem externe se componunt, adeoque interdum fit, ut virtutibus nuntium non penitus mittant, simulacris tam vitiorum sensim adsuescant.

§. III.

Inter virtutes, quæ præcipuam quandam laudem propter eximiam tam utilitatem quam jucunditatem, quas

generi humano præstant, commendari debent, merito referenda est Veracitas, quæ in convenientia sermonis & cogitationum consistit. Scilicet DEUS O. M. facultatem loquendi eum in finem nobis concessit, ut postquam labiorum nostrorum holocaustum, cuius veluti fragrantia in sinceritate consistit, ipsi devete obtulimus, sensa animi nostri cum aliis communicemus. Qui igitur in negotiis, in quibus sermonis usus intervenit, sincerum sese non gerit, sed aliud cogitat, aliud loquitur, usum doni præstantissimi plane pervertit, quo graviter peccat contra munificum Datorem & transgreditur præceptum legis Naturalis de non lèdendis aliis. Per sinceritatem vero redditur vita nostra & tranquilla & jucunda. Per illam enim firmatur fides inter homines, qua illæsa, pacta et jam & conventa manent integra, quilibet singulis contractuum articulis sine cavillatione plene planeque satisfare studet. Quid præterea melius, quam cum talibus versari hominibus, qui non dubitant in negotiis, de quibus agitur, intima pectoris sui referare penetralia, qui cujusvis rei tam commoda, quam incommoda sine hæsitatione proferunt, quorum animus quasi in labiis residet & cum quibus etiam in tenebris quis micare possit. Quum autem nihil fere crebrioribus nos doceat exemplis experientia, quam homines & fallere & falli, nullum certius his malis datur antidotum, quam innoxiae simulationis ac dissimulationis artes. Quum igitur simulatio & dissimulatio consistat in dissensu cogitationum a verbis seu factis, apparet utramque esse veracitati oppositam, adeoque per se ad vitia referendam. Sed quum artes modo memoratae pro re nata nec DEO displiceant, & hominibus, inter extrema præter suum meritum versantibus, facultatem se se ex periculis expediendi præbeant, sequitur, quod innoxiae simulatio & dissimulatio ad simulacula vitiorum sit referenda. Quod autem innoxiae hæ artes DEO, ceu dictum

Etum est, non displiceant, luculenter constat tam ex ratione, quæ docet DEUM in veræ felicitatis nostræ conservatione beneplacitum habere, quam ex sacris pandectis, in quibus inter alia proponitur exemplum obstetricium Ægyptiacarum, quæ mandatum Pharaonis Regis de necandis puerulis Itraëlitarum recens natis dextre eludebant, simulantes singulare prorsus robur prægnantium fœminarum Israëlitarum, & sic innoxios harum infantes servantes; quæ propterea a Supremo Numine hanc tulerunt gratiam & mercedem, ut DEUS ipse domos illis extruxerit. Et profecto si prudentiae studere non solum ex mandato divinæ, sed etiam ex insito felicitatis sive obtinendæ sive tuendæ desiderio teneamur, illius autem partem in ambiguis rerum humanarum casibus constituat innoxia simulatio, sequitur, quod arte & flexu quodam utiliceat, quoties recta ad honestum finem pervenire non datur. Habet scilicet sapiens vias a communi tritaque paulisper declinantes, quibus, urgente necessitatis telo, ita utitur, ut quod sibi prospic & nemini obsit citius facilis que consequatur. Sicut enim laudem omnino mereatur Epaminondas, quod adeo diligens veritatis fuerit, ut ne quidem per jocum mentiri voluerit, ita vituperandus quisquis cum CATONE unquam nollet temporibus obsequi, sed postularet, ut tempora suis semper moliminiibus sese accommodarent, quum præfracta ejusmodi constantia & intempestivus rigor eum in varia & vitæ & salutis discrimina facile conjiceret. Verbo: probanda est in Principe simulatio, qui in rerum publicarum momentis tristia & periculosa suo corde alte premit, læta autem & proficia suis annuntiat civibus, ad exemplum Regis Alexandri M. de quo refert Curtius, quod cladem solerti consilio texerit, morte denunciata eis, qui ex prælio venerant, si acta vulgassent. Probanda etiam in civibus simulatio, qui hilari fronte suam ferunt sinistram & immertam

tam sortem & publicam utilitatem privatis anteposuerunt commodis.

§. IV.

Ex quo homines in originem mali atque vitiorum, quibus laborant, inquirere coeperunt, multi eorum, qui ceteris sagaciore videri voluerunt, causam tantarum calamitatum in sui amore seu philautia sese invenisse crediderunt; quamobrem etiam eandem ceu fœtum quendam hydræ infernalis graviter condemnarunt & ad orcum usque relegarunt. Nonnulli igitur præsertim illi, qui Religionis præceptorum aliis observantiores videri volunt, eo usque sua extendunt postulata, ut ex eorum sententia probo homini non liceat suam ostendere probitatem; Philosopherus suam celabit cognitionem, nec agre patiatur se cum stupido vulgo confundi, immo ex eorum placitis quisque seipsum contemnet, suas propensiones, quantumvis innoxias cohíbebit, tanto enim gratior erit DEO, quanto minus rationi ac naturæ convenienter vivat. Enimvero non obstante hac affectata austernitate, sive Theologica sive Philosophica, contendere haud dubitamus, amorem sui seu Philautiam non inter vitia, sed ad minimum inter simulacula vitiorum esse referendam. Quæ nostra opinio, ne quempiam forte offendat, statim monemus, quod per Philautiam seu sui amorem non intelligamus illam animi levitatem, qua quidam affectuum vertigine abrepti, sibi ipsis nimium indulgent, seipso impense amant atque aestimant, quasi sibi solis nati essent. Philautiam enim hoc sensu sumtam nemo sanus unquam prohibet. Sed per philautiam, ceu pat est, intelligimus affectionem illam teneram, quam Naturæ Auctor singulis inspiravit hominibus, qua suam studiose querunt felicitatem & sollicite declinant, quicquid illam impedire aut immi-

imminuere possit. Et hoc sui studium non tantum innocens & legitimum, sed etiama necessarium esse contendimus. Quam enim DEUS sit ens omnium, quæ unquam cogitari possunt, perfectissimum, & ipse vi perfectionum suarum non possit non seipsum amare, sequitur quod nec ipsi dispiceat, si ad ipsius exemplum, quantum nostra patiatur conditio, nos componamus, nosque adeo amemus. Præterea homo constat anima & corpore, & utraque hæc pars essentialis suis laborat infirmitatibus: corpus enim variis obnoxium est malis, quæ sanitatem adficiunt, vires imminuunt & dolores satis acutos excitant, anima quoque nostra nonnunquam cruciatur tristibus cogitationibus, quæ hilaritatem dissipant. Sed quum DEUS nostra delectetur felicitate, illum nobis indidit instinctum, ut nos amemus, & hoc affectu compulsi, morbos tam animi, quam corporis, illis in subsidium exhibitis adminiculis, quæ nobis benigne concessit, declinare vel imminuere studeamus. Nihil igitur benignæ DEI in nos voluntati est convenientius, quam ut felicitati animæ & corporis nostræ studiose invigilemus; qui vero aliquid sollicite curat, illud procul dubio amat; Ergo Philautia non est vitium quoddam, quantumvis atro-hujus carbone illam notare nonnulli velint, sed si quod vitium subinde Philautiæ adhæreat, illud ipsum non huic propensioni per se consideratae, sed sinistræ ejusdem applicationi erit adscriendum. Ut vero Philautia rite sicut decet sese habeat, amemus nos ipsos prudenter & modice, justo constituamus ordine amorem corporis & animæ, instinctum naturalem & rationem: Imperet ratio, morem gerat naturalis instinctus: corpus obediat animæ, anima DEO. Contemnere, quum corpus circumferamus, innoxias lensum voluptates, uti nostræ felicitati adversas, hoc est exuere humanitatem & imaginariam quandam sanctitatem affectare; contra ea nihil aliud anquirere,

zere, quam solas sensuum voluptates, id est instinctum naturale, non rationem, sequi ducem & proinde brutorum sortem querere.

§. V.

Eadem Lex Naturalis, quae nobis injungit, ne quempiam lèdamus, ex eodem æquitatis capite nobis prescribit, ne dolo aut fraudibus quempiam circumveniamus, quippe ex his lèso vel major vel minor existere possit. Definire autem haud incommodo potest dolus per defectum rectitudinis actionis, quam quis sciens & volens patrat. Quamvis igitur ex hac definitione sequatur, cuilibet dolo inesse vitium quoddam aut pravitatem majorem vel minorem, prout actio dolosa magis minusve a norma legis recedat, attamen Philosophi distinguere solent dolum in malum & bonum. Dolus malus est improba voluntas alium directe lèdendi, & suum ita promovendi commodum. Dolus autem bonus nuncupari sive solertia quædam, qua nos & opes nostras in ambiguis rerum casibus tuemur; quamobrem dolum bonum inter simulacra vitiorum merito referimus. Quum enim ad tenorem legis Naturalis obligati simus ad felicitatem nostram, quantum sine aliorum fieri potest incommodo, promovendam, maleferiati autem homines sortem nostram nobis saepe invideant, & felicitati nostræ ex animi vel levitate vel destinata malitia objiciant varia impedimenta, is utique legem Naturalem non migrat, qui, urgente necessitate, ab innocua astutia petit auxilium, quod a sinceritate frustra exspectat. Bene enim in hunc sensum quidam ex recentioribus: Dolo & astutia est utendum non ad alios seducendos, sed ut dextre impediamus, ne temere a malis circumveniamur, & ipsi innocentibus opprimamur. Sicut enim qui arma

arma ex furibundi manibus extorquet atque ita impedit, ne perniciosa sua exsequatur molimina, propterea non est vituperandus; ita ille omnino est excusandus, qui alterum, quem nec viribus nec rationibus permovere potest, ut a malis desistat inceptis, ingeniosis modis impedit, ne aliis noceat & suam laedat conscientiam. Id quod tanto magis valet, si casus immineat extremæ necessitatis; tunc enim tantum non omnis ratio sese expediendi censetur honesta. Ex modo allatis satis appetet superque, quid censendum sit de dolo, quo Gibeonitæ Josuam & populum Israëliticum circumvenerunt, adeo ut hi pactum eum illis initum jurejurando confirmaverint. Rationes de hujus pacti validitate dubitandi sunt in primis sequentes: Quod pacta dolo elicita non sint servanda, id quod in moralibus luculenter demonstratur: tum quod Israëlitis a DEO fuerit injunctum, ut omnes gentes Cananæas extirparent, eum in finem partim ut atrocis propter commissa delicta punirentur, partim ut populus DEO dilectus in puriori conservaretur religione. Quisquis autem animum ad præsentem rem serio adverterit, facile concedet, nec Gibeonitas male fecisse, quod unicam fere rationem sese a præsentissimo exitio liberandi arripuerint, & recte egisse Josuam, quod pactum cum Gibeonitis initum utcunque servaverit, siquidem dolus heic adhibitus pro bono & licto debat reputari. Nec enim honorem Sumimi Numinis laedere, nec injustum Israëlitis damnum inferre tentarunt, sed saltem & vitam sibi pacisci, adeoque se & suos naturali rationi convenienter conservare studuerunt Gibeonitæ. Adde, tum quod Israëlitis absolute non fuerit præceptum, ut omnes gentes Cananæas extirparent, sed eas tantum, quæ vel ultro arma Israëlitarum provocarent, vel morosa resistentia Israëlitas ab hereditate ipsis decreta arcere vellent, tum quod Gibeonitæ doli a se

conficti hanc tulerint poenam, ut in servitutem fuerint redacti. Ex quibus apparet, quod dolus hic Gibeonitarum ad Simulacra vitiorum sit referendus.

§. VI.

Quantum æra distent lupinis, tantum etiam discrimini inter pietatem atque fraudes intercedere videtur; nihil tamen minus ab Auctoribus passim memorantur *piae fraudes*, per quas intelligunt commenta quædam humana ideo excogitata, ut finem quendam bonum, quem alia ratione obtinere non possunt, ita consequantur. Quamobrem si per isthæc inventa nec honor Supremi Numinis laedatur, nec cuiquam fiat injuria, pias halce fraudes Simulacris vitiorum annummerari, facile constat. Scilicet quum ferocia admodum fuerint plerorumque hominum, in civitates commigrantium, ingenia, adeo ut nec spe tranquillitatis ac felicitatis obtinenda, nec metu poenarum quæ immorigeros manerent, intra officiorum gyrum contineri potuerint; igitur veteres Ethnicorum Legislatores finxerunt leges latas a non se esse excogitatas, sed a benefico quodam Numine, quod felicitatis eorum esset cupidum, sibi communicatas; adeoque qui has transgrediebantur non solum poenas civiles subituros, sed vindictam etiam DEI citius serius experturos. Ita imitati sunt astuti hi legistatores Medicorum filios, qui ut morbidorum pervicaciæ, quam rationibus vincere non possunt, eludant, sub alieno nomine vel colore ipsis propinan medicamenta, quæ ægroti alioquin averterantur. Non tamen in totum probamus hanc veterum fingendi licentiam. Quamvis enim concesserimus, stragemata hæc politica bonum utique in finem fuisse excogitata, nihil tamen minus ineptum judicamus per superstitionum præstigias illos confundere, quos idoneis rati-

rationibus convincere deberent. Et nisi admodum fallimur, huic veterum instituto occasionem præbuit κανονία. Quum enim inaudivissent, eam felicitatem populo Judaico contigisse, ut ab ipsius ore DEI suas leges haberet, ne contemta hac gente aliquo modo essent inferiores, sua etiam præcepta ad DEOS auctores referebant, ita & genti suæ decus & legibus introductis valorem addituri. Hæc igitur artificia utcunque sunt toleranda, sed illas pias fraudes penitus damnamus, excogitatas, ut a simplicioribus magnæ emungantur pecuniæ summiæ, easque non simulacra vitiorum, sed gravissima esse vitia existimamus.

§. VII.

Quum ad tranquillitatem generis humani in rebus civilibus nihil fere æque conferat, quam si promissa & pacta inita serventur; nihil æquius aut naturæ humanæ videtur convenientius, quam, ut quilibet paciscens singularis pacti articulis sine ulla cavillatione satisfaciat. Tolle enim fidem, & simul animadvertes, sociatum omnium basin penitus subrui. Enimvero fides servanda supponit & materiam & formam pactorum sese rite habere, adeo ut promissio vel pacto præstando nulla vel a natura vel a legibus objiciantur impedimenta. Proinde si actio, quæ promittitur vel de qua quis paciscitur, quid vitii vel in se vel in præstandi modo contineat, obligatio ex hoc promissio vel pacto resultans omnino cedere debet anteriori obligationi, qua homo legibus Divinis fuit obstrictus ad ea omittenda, quæ in se mala, alterutri saltem agenti noxia; heic enim valet canon Moralistarum: Quod male juratur, pejus servatur. Quamobrem infidelitas respectu promissorum vel pactorum non erit culpanda, si quis inepto pacto non satisfecerit,

ad eoque datur infidelitas, quæ simulacris vitiorum est adscribenda. Imminet ex. gr. Latro, & stricto acinace minitatur se hominem, obviam sibi factum, protinus fore obtruncaturum, nisi ad certam pecunia summam, ubi donum pervenerit transmittendam, jurejurando sese obstrinxerit. Quod si igitur hic præsentissimum vitæ periculum declinaturus, in verba latronis juraverit, se dictam summam, de qua conventum fuerit, soluturum, non tamen in hoc casu suam laedit conscientiam, si fidem non servaverit. Quum enim a parte latronis nullum omnino fuit jus postulandi memoratam pecuniarum summam, & jus atque obligatio sint correlata inter se, promittens obligatus non est ad fidem datam servandam. Immo, qui ita pactum migrat, non laedit vel honorem DEI, vel seipsum vel alios homines, sed solummodo pactum per se invalidum non servat, atque recte facit, quod malitia latronis sua facilitate non adsistat. Ergo infidelitas, quæ heic prætendi posset, inter simulacula vitiorum est ponenda. Eodem modo judicamus de voto Jephæ, si filiam suam non immolaverit. Promiserat scilicet Jephæ, ad bellum contra Ammonitas profecturus, quod si vitiorum reportaret, DEO vicissim immolaret quicquid ipsi domum revertenti primum esset obvium. Videtur quidem hoc votum esse absolutum, sed tamen eidem, nisi plane temerarium fuit, quod supponi nequit, tacita suberat conditio, videlicet, ut offerret quicquid offerri posset & DEO gratum esset. Sicū igitur DEO offerre non potuit animal quoddam immundum, si tale ipsi occurisset, ita nec filiam suam in holocaustum immolare potuit; siquidem DEUS omnem *ανθρωπινα* severissime prohibuisset. Quamobrem si Jephæ votum suum in casu hoc non præviso stricte non servaverit, recte omnino egit, & infidelitas ejus ad simulacula vitiorum erit referenda.

§. VIII.

Sicut ratio nostra est præstantissimum donum mortalibus ab immortali DEO concessum; ita etiam præstantissimi quilibet viri nihil fere tantopere anquitunt, quam ut rationem suam excolant, quo ceteris prudentiores aliquando evadant. Celebrantur quidem nonnulli propter corporum suorum agilitatem vel robur, laudantur etiam propter exercitia corporum, quæ dextre & ad aliorum admirationem exsequi norunt; hæc autem artificia, quum intra exiguum gyrum terminentur & in felicitatem propriam aut publicam exiguum vel nullum habeant influum, homines quoque eatenus tantum eis pretium statuunt, quatenus eorum oblectationi forte inserviant. At longe alia est prudentiæ indoles, quæ facit, ut unus homo nonnunquam plus valeat, quam integra Natio, & solus Davides præstantior habeatur, quam decem millia Israelitarum. Enimvero, qui ita prudentia ac meritis in republica eminet, vicio ingenii hominum, superiores ægre ferentium, invidiæ telis non aliter est expositus, ac turres excelsæ patent ictibus fulminum. Quamobrem stultitiam sœpe simulare coguntur, ut securitatem, quam ingenio consequi non possunt, sua dementia aliquantis per obtineant. Stulti enim, ut infima hominum pars, a plerisque tamquam entia nullius frugis contemnuntur, eoque ipso & liberius vivunt & tutius habitant. Ex quibus dilucide appareat, quod simulata stultitia ad simulacra vitiorum sit referenda, siquidem in dementiæ simulatione haud exigua prudentiæ pars lateat. Sic DAVIDES, Rex Israelitarum, quando solum vertere coactus fuisset, & ad Achidem, Regem Philistæorum, sese contulisset, illiusque prudentiam ac fortitudinem extimescerent Philistæi, stultitiam simulavit, furiosorum gestus imitatus, donec tempestas, quæ tunc debacchabatur, ferme esset sedata. Si

mailiter

militer Legislator Atheniensium, SOLON, quum apud suos capital esset, si quis suaderet insulam Salaminam a Megarensibus repetere, subitam dementiam fixit, cuius venia non dicturus modo prohibita, sed & facturus erat. Sic insolitis sibi versibus persuadere populo coepit, quod vetebar, omniumque animos ita cepit, ut exemplo bellum adversus Megarenses decerneretur, insulaque, devictis hostibus, Atheniensium fieret.

§. IX.

Præcipuum vitæ humanæ condimentum merito habetur verus Amicus, quippe qui non solum in secunda fortuna sinceritate sua sensum felicitatis nostræ admodum auget, sed etiam in adversis vicissitudinibus efficit, ut minus sentiamus calamitatum nostrorum sarcinas. Quam bene itaque nobis met ipsi cupimus, tam strenue etiam amico nostro inservire debemus, quippe qui est quasi una anima in duobus corporibus. Nihilo tamen minus dantur subinde casus, quibus si amico nostro desimus, hæc officiorum intermissio non vituperanda erit, nec inter vitia, sed inter vitiorum simulacra est referenda. Sunt enim amici nostri etiam homines, qui suos interdum patiuntur manes; quare, si forte ab amicitia illam postulent benignitatem, quam ab æquitate exspectare non possunt, illis utique non erit adsentiendum. Quantumvis enim tenero amore amicum nostrum complectamur, attamen ex præceptis Legis Naturalis, DEO & nobis met ipsi plura debemus, quam amicis. Quamobrem si amicus ex animi levitate quidquam a nobis petierit, quod leges nequaquam permittant, si ipsi in hoc rerum articulo desimus, nec de injuria sibi illata, nec de nostra conqueri potest socordia; melius enim est offensam amici, quam iram DEI & conscientiæ cruciatus experiri.

Vidit

Vidit hoc ipsum PERICLES Atheniensis, qui aliquando ab amico rogatus, ut in ejus gratiam dejeraret, scite admotum respondit: *In serviam amicis, sed usque ad aras.* Contra perversum omnino erat factum CHILONIS, Lacedæmonii, qui sedens pro tribunali amicum capitis reum, condemnaverat quidem, eis autem, qui simul judicabant, ut hominem absolverent, commendabat, ratus, se ita nec iudicis, nec amici officio defuisse, siquidem suo magis affectui, quam officio & publicæ securitat i hocce modo consuluerit.

§. X.

Sicut inter virtutes nulia ferme est, quæ hominera magis decet, quam humanitas, quippe ad quam colendam ab ipsa natura quasi formati esse videmur, & qua aliorum benevolentiam nobis conciliare & semel conciliatam diu retinere possumus, ita quum oppositorum sit opposita ratio, severitas gravissimis annumerari solet vitiis. Attamen ipsa severitas nonnunquam ejus est indolis, ut veram nostram felicitatem promoveat, adeoque Simulacris tantummodo vitiorum sit arcessenda. Sicut enim corpus humanum gravibus adeo morbis interdum adficitur, ut iidem lenibus remediis hequaquam pelli queant, sed opus omnino sit amputatione, exultione, gravioribus evacuationibus, aliisque sic dictis mediis heroicis, ne pars adhuc sincera corporis trahatur; ita in societatibus læpe ingravescunt morbi politici adeo ancipites, ut intempestiva facilitas eorum vim non imminueret, sed quotidie augeret. Immo, quum pauci sint mortalium, qui virtutis amore numeros officiorum suorum implent, severitate opus erit, si voluntates singulorum sociorum, ceu par est, & conservatio societatis requirit, conjungentur. Absit tamen, ut severitas in truculentiam, quæ generi

neri humano ex sua natura est exitiosa, degeneret; illa enim æquitatis oleas transgredi nunquam debet. Hoc potito, quum nemo sub imperio severo impunitatem commissorum malorum sibi polliceri queat, singuli in officio continentur. Contra ea si Princeps nimis indulgens fuerit, plerumque accidit, ut tot fere existant Domini Severi in reliquos cives, quot sint aulici, qui populum, quantum velint, opprimunt, & qui sub clementiæ umbo-ne munera publica non dignis & bene promeritis, sed plurimum licitantibus distribuent; quibus fit, ut elanguidum imperii corpus ruinam citius serius suam minitetur. Finge enim familiam, in qua herus vanam indulgentiæ auram inter suos captat, multiplex docet experientia, quod singula negotia in eadem vel negligentur vel præpôstere admodum agantur, & nisi disciplina quædam introducatur, brevi cum tota familia hac, quantumvis splendida & opulenta ab initio fuerit, actum erit atque conclamatum.

Essent quidem plura adhuc vitiorum simulacra a nobis proferenda & detracta monstrosa harum actionum larva suo nitori restituendæ virtutes, sed temporis aliarumque circumstantiarum rationem habituri, dissertatiunculæ huic nunc imponimus.

F I N E M.

